

DEDICATIO.

*dictatrici illius inscitiae imperio subjectos. Hinc patres & proceres regni Logici iui consultum; illorum monumenta perlustravi; ex fontibus ipsorum amnes ad meum hortulum irrigandum fecundandumq; derivavi; deniq; ex illorum caelo stellulas, non magico murmure, sed laboris constantia deduxi, & in ordinem digessi, ordini illi, qui in caelo nativo, utcunq; respondentem. Quemadmodum autem in reliquarum opulentiâ fortunarum, quod quisq; Dei beneficio, suo labore ac diligentia consecutus fuerit, id in medium ponere, & impartire non habenti tenetur lege natura: ita & in Rep. literaria, si quis Dei gratia, & lectione saepe repetita aliquid adeptus est, quod publice prodesse potest, non aequum, sed aequissimum est, ut illud etiam aliis cognitum sit, ut ita felicitates ingeniorum communicentur. Is est sapientum finis, qui libros condunt; vesanorum, gloriola premium, vel lucellum scopus. Cum igitur in agro Logico excolendo ab annis sex septem jam versatus sim, & nonnullas ingeniorum felicitates congesserim, officii mei esse duxi, illas cum felicibus ingenis communicare. Fovet autem me spes non exigua, feliciores mortalium tam libenter accepturos, tam grate acceptum laturos, quam haud gravate hoc levitense munus ipsis ab homine salutis publicae studiosissimo collatum, dicatum. Sed*

*quid*